QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVIII. FEBRVARII,

Præside M. GVILLELMO DV VAL Doctore Medico, & Professore Regio.

Est-ne vita Actuosa Contemplatrice salubrior? 828

SANITATIS inculpatæ, vt & virtutis honestarúmque actionum lex, sigillum ἢ ἀποφθεγμα, Modus; is scilicet quem præscribit, æstimátque prudentia, ἢ ὀρθὸς λόγος. Ideo quisquis modum non tenet, tenetur ipse vitio, aut morbo. Πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνος, ἀφροδίσια, μέτρια. Horum quippe symmetria definit sanitatem, quæ tamen malè definitur συμμετρία θερμῶν καὶ ψυχρῶν. Sed modus non est vnius modi, qui nempe singulorum hominum dispares temperaturas, κατὰ τὰς ἰδιοσυγκρασίας, imò & vitæ genera sortésque varias, vt regula Lesbia, consectetur, seséque ijs accommodet, atq; interim probè temperatos seruet similibus, intemperatos emendet dissimilibus. Bellè, malè; peiùs, meliùs; salubriùs, insalubriùs habemus, non pro nutricatus duntaxat & educationis, cœli etiam solíque, ventorum & consuetudinis modo; sed & prout certa viuendi affectamus, inimusque instituta; siue ea studiis addicta sint & sapientiæ; siue motalibus & politicis actionibus; siue artibus quibuslibet; siue otio & quieti; siue negotiis & laboribus. Est tamen ἁπλῶς verum illud Hippocratis oraculum, ἄσκησις ὑγιείης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων; vt omnino salubtior sit is vitæ status, qui τῆς τροφῆς ὑποστελλόμενος, πονεῖ πλείω, ciborum parcus, labores liberiùs admittit, & corporeas exercitationes.

IVVNT homines, quâ homines sunt, mente, τέχνῃ καὶ λογισμοῖς; animantes sensu, καὶ ταῖς φαντασίαις ἢ μνήμαις; si secùs illi viuant, & sensui ac voluptatibus mancipentur, bestiæ sunt ἢ ἀνδράποδα. Sed velle suum cuíque est, nec voto viuitur vno. Suus cuíque à naturâ genius, sua indoles, καὶ μοῖρα πεπρωμένη; atque ad hos vel illos vitæ modos ac genera, peculiaris est, certáque ingeniorum procliuitas & aptitudo, à cuiúsque orta temperamento; licet multis vitæ suæ sortes ratio dederit, vel fors obiecerit; an & sæua necessitas, φιλαργυρία, φιλοτιμία! Hinc nimirum quasi fato, fiunt homines Philologi, Philosophi, Theologi, Mathematici, Poëtæ, Pictores, Politici, Medici, artifices Ἀρχιτέκτονες & quotquot contemplationi incumbunt & liberalibus disciplinis, quorum omnium vita, sapientia est, veritas, virtus, ars, prudentia, solertia, & scientiæ quælibet, quibus mens veget, ornatur & inclarescit, hominésque viuunt illustriùs. Alij agricolæ, milites, mercatores, venatores, vinitores, viliores opifices, χειροτεχνῖται, βάναυσοι, θῆτες, gladiatores, athletæ siue gymnici, quos vocant παλαιστὰς, δρομεῖς, πύκτας, δισκοβόλους, ἢ ἁλτῆρας, luctatores, cursores, pugiles, disco & saltu certantes, & quotquot negotiosas & operarias artes tractant, seséque laboriosiùs exercent; quorum vita motus est, labor, negotium, & corporis crebra vehemensque exercitatio, vt sicuti ψυχῆς περίπατος, φροντὶς, animi exercitatio & quasi deambulatio est cogitatio siue studium; sic labor, corporis. At bona pars hominum decepta cupidine falso, gulæ seruit, libidini, fœdísque voluptatibus; propterea humanæ vitæ genus supereminentissimo Aristoteli, triplex. ἀπολαυστικὸν, πολιτικὸν, θεωρητικὸν, Voluptarium, infame & morbiferum; Ciuile, gloriosum; Contemplatiuum, illustre ac diuinum. Addo ἐπίπονον, Actuosum siue laboriosum, omnium saluberrimum.

ACTVOSA vita corporis est & laborum, patiens pulueris atque solis, neque frigoris insolens. Contemplatrix, mentis & meditationum: sed & silentii ac vigiliarum amans, auroræ, otij, quietis, secessus, sessionis; animus siquidem sedendo fit sapientior. Ideo Actuosa corpus curat, vires recreat, membra firmat ad sanitatem, καὶ τὴν εὐεξίαν. Contemplatrix terrestre pertæsa corpus, vnam colit excolítque diuinam mentem, eámq; adornat & instruit ad sapientiam, præclarásque cogitationes, πρὸς εὐθυμίαν. Sed Contemplatrix vita, si non Philosopho, hygieino certè Medico ea est, quæ non soli Theoreticæ Philosophiæ incumbit, cuius finis est ἀλήθεια; non soli Practicæ, cuius finis est εὐπραξία siue virtus; non soli Poëticæ, cuius finis est ποίησις καὶ ἔργον siue effectio vel opus artis; sed quæ studiis quibuslibet intenta est, totáque & diligenter vacat rerum quarumcúnque cognitioni, quouis proposito fine; vt sit hæc vita studiosorum indiscriminatim omnium; Actuosa autem labotantium, & qui corpus vehementiore motu exercent, vnde anhelitus mutatio consequatur, subeátque fatigatio. Hinc elucet vtriúsque vitæ discrimen, tantum profectò, quantum inter mentem & corpus, principem, & seruum; sapientiam & sanitatem. Non enim quò quísque sapientior & doctior est, eò degit salubriùs. Neruos Minerua minuit, sapientia corpus. Sic forte-an Platoni Philosophia μελέτη θανάτου, ἢ χωρισμὸς τῆς ψυχῆς καὶ λύσις ἀπὸ τοῦ σώματος.

IS ordo in entibus est, ac veluti fatum aut naturæ lex, vt præstantiori & potentiori cedat, seruiátque etiam cum detrimento sui, id quod est ignobilius, minúsue perfectum. Pisces vt sæpe minutos magnu' comest, vt aues enecat Accipiter. Humanum corpus alioquin elaboratissimum menti siue animo tanquam Regi aut hero suo subiicitur, in quod scilicet exerceat mens despoticum imperium. Propterea quotquot sunt in corpore dotes & facultates (sunt autem in eo omnes, licet ab eo nullæ) functiones etiam, partes, humores, temperamenta, spiritus naturales, vitales, animales, Dominæ Menti, dum contemplatur & intelligit, pro suo omnes modulo, deseruiunt. Mens quippe actu contemplans sese ad phantasiam conuertit, & phantasmata siue imagines rerum in cerebro rite constituto efformatas, & à sensibus repetitas, quas primò illi ab obiectis per species exceperunt, mirabili modo speculatur; vt ad earum præsentiam ipsa sibi species effingat intellectiles, ad contemplandum necessarias. Has autem rerum figuras & phantasmata menti exhibent, offerúntque spectanda, spiritus animales, quasi specula cogitationum ἢ νοημάτων; itaut quò crebrior, diuturnior & attentior est contemplatio, eò plures necesse sit spiritus è cerebro hauriri ac suppeditari. Atqui operosissima est & sumptuosissima spirituum animalium generatio, qui vt omnium sunt purissimi & elaboratissimi; sic & dum multi fiunt, magnas absumunt copias spirituum vitalium, adeóque naturalium, caloris benignioris & sanguinis dulcioris ac subtilioris, è quibus omnibus vt & aëre, creantur spiritus animales; vnde necesse est Cerebrum, Cor, Hepar, vitæ fontes, & spirituum calorísque natiui thesauros exhauriri, languere, ac exarescere, ventriculum oblædi, coctiones labefactari, arceri somnos, aluum constipari, humores sordere, siccescere, incinerari, aptis in cerebrum distractísque in frequentioris contemplationis vsum, omnibus spiritibus, blando vdóque calore, & sanguine sinceriori, quibus partes destitutæ sensim marcescunt & macrescunt, morbísque infinitis redduntur obnoxiæ. Atque hinc profectò animalia breuioris sunt vitæ, quàm plantæ; nimirum quòd illa spiritus perpetuò absumant ad sensum & animales facultates; hæ, nullos. Et inter homines, si cætera paria sint, citiùs moriuntur sapientes, docti, ingeniosissimi, & qui diu ac sæpe cogitant & altiori mente res æstimant ac discutiunt, quàm simplices, idiotæ, inertes.

SIC mens contemplationi studiísque vacans, tyrannidem miserabiliter exercet in corpus suum; quæ vt ipsa valeat, sibíque per sapientiam viuat, corpori morbos infert, mortémque accelerat. Quid si & ipsa sibi, vt turdus, malū creet? nimiæ enim litteræ faciunt insanire, magna ingenia vix sunt sine aliquâ mixturâ dementiæ; nimia sapientia confinium est desipientiæ, præsertim dum incidit in melancholicos, qui pathemata etiam animi maiora quorum subiectum est Cor non Hepar, patiuntur, ἐρωτομανίαν, vesanum amorē, Cerebro infensum & Cor lento cæcóq; igni deurentē. Ideo velit nolit Galenus, datur pulsus amatorius, & falsum illud, cogit amare iecur. Sunt tamen melancholici, omnium in arte quâuis & scientiis præstantissimi, & vbíque, etiam in regendâ republicâ eminentissimi, ac verè heroës; maximè si vitam inierint Contemplatricem, morbiferam illam quidem ac minùs salubrem, sed illustriorem, beatiorem ac diuiniorem. Quanquam dolendum est sapientes ac studiosos præterquam-quòd tetrici interdum sunt, tristes δύσκολοι, δυστάνιοι, ἰσχυρογνώμονες, μισάνθρωποι, resides, & sellularii; morbis etiam grauissimis non rarò conflictari, Cephalalgiâ, vertigine, lethargo, epilepsiâ (cuius in melancholiam cerebralem facilis est commigratio) Catarrhis, ophthalmiâ, epiphorâ, βαρυηκοΐα, tussi, phthisi, palmo, cardialgiâ, calculo, nephritide, hæmorrhoidibus, crucibus denique hypochondriacis: vt idcirco egeant studiosi temperatiore diætâ, enematis emollientibus, missione sanguinis, balneo & opportunis ac blandioribus purgatiunculis, præcipuè autem vitâ geniali & actuosâ. Nimirum otiosæ ac segnioris vitæ medela labor est & motus, quem actuosa vita strenuè procurat, vt vitæ & sanitatis authorem ac fautorem. Motus quippe mundi custos est ἢ βίος τῆς φύσεως. Ideo in cœlis vnde viuunt omnia, rapidissimus; in Oceano mirabilis; in fluuiis, aëre, fontibus & vbique purgatorius & salutaris. Viua dicuntur, etiam inanima, quæ saliunt & facilè mouentur, vt ignis, aqua decurrens, hydrargyros. Sed & cor vitæ fons, vitam præstat motus perennitate: Et homo ipse contextu suo ad motus arbitrarios, laborésque spontaneos (quasi eos suadente naturâ) quouis alio animali, paratior est ac expeditior: quos si cum modo ac tempestiuè vsurpet, vt ante cibum, vel longè à cibo; morbos illi arcebunt ab otio creatos, ignauiâ, & quiete nimiâ, quâ scilicet sordent, putrent, puténtque omnia, vnde pestis ἀπὸ τῆς νηνεμίας, & ab Austri languidioribus ac longioribus spiraculis; corpus ab excrementis & fuligine liberabunt, animum exhilarabunt, calorem natiuum excitabunt, coctiones promouebunt, sensus reddent vegetiores, spiritus alacriores, atticulos firmiores, sanguinem puriorem, colorem floridiorem, vitam denique iucundiorem ac diuturniorem. Quæ commoda vt maiora sunt à lusu paruæ pilæ, ab Equitatione amœnâ, & campestri, à Venatione, imò & ab Armorum prudenter compositâ velitatione ἢ ἀπὸ τῆς ἀεξιγυίου αὐλητικῆς; sic à vitâ Contemplatrice, nulla.

Est Ergo vita Actuosa Contemplatrice salubrior.

275.

Propugnabat Parisiis NICOLAVS COLLETET, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVI.